

hæc verò exierunt Langobardi, & transferunt Tusciam usque ad Romam, & ponentes ignem Petram pertusam incendio concremaverunt. Et construxerunt prædicti Langobardi Forum Cornelii, & consummata est civitas ab eis. In diebus illis excitata est gens Avarorum, in Pannonia deveniunt; Narisique Patricius obiit Romæ, postquam gessit multas victorias in Italia cum denudatione omnium Romanorum, Italia in Palatio quievit; nonagesimo quinto vitæ suæ anno mortuus est.

## CAPUT QUARTUM.

*Alboini obruncatio Rosmundæ uxoris operâ.  
Rosmundæ Ravennæ à Longino cum bo-  
nare recipitur. Ibidem ex veneno  
moritur. Petri Episcopi mors,  
& sepulcrum.*

**I**gitur imperante Justino II. anno VI. nepote Justiniani, Alboinus Rex Langobardorum à suis occisus est in Palatio suo iussu uxoris suæ Rosmundæ IV. Kal. Julias. Causam verò interfectionis suæ, quam scimus, non præmittam, sed alacriter in medio proferam, ut caveatis. Quadam verò die, dum lætus duceret prædii horam, & cibus regius sibi allatus fuisset, & crapula vini sublecuta esset, inter cætera pocula iussit deferri caput Soceri sui, Rosmundæ Patris; quod adductum iussit eum impleri Baccho usque ad summum, & sic eum totum ebibit. Biberunt omnes simul vino lætificati. Tunc præcepit Rex Pincernæ implere caput usque ad summum, & Rosmundæ uxori suæ dari; quod caput erat ex auro ligatum optimo, margaritisque, & diversis pretiosissimis gemmis infixum. Quo porrecto, ait Rex; bibe totum. Illa mox, ut accepit, ingemuit, sed fronte serena dixit; iussa Domini mei alacriter expleam. Postquam bibit reddidit Pincernæ, dolorem geminavit in corde, duritiem in pectore servans. Non vagemus per multa, interfectionem prodamus. Vir autem in illis diebus in ipso erat Regis Palatio fortis nomine Helmegis, qui *Vesteraria* (1) Reginæ concubitu fruebatur; (2) quem Regina accersitum hortabatur, ut Regem extingueret. Cujus ille renuens voluntati, dixit, absit me, ut manum meam contra Dominum meum Regem levem. Tu scis, quia vir fortissimus est, & non queo eum superare. Et illa; quamvis non facias, nesciat quis. Et ille; certè nunquam hic sermo de ore meo egredietur. Alium adhibe interfectorem; ego non facio. Quando hoc facere voluisti, non debuisti (3) cum eo sociari, (4) sed postquam Regina effecta es, fidem serva. Tunc recepit se surdendam in cubiculum suum, & cogitare cœpit, quomodo maritum posset extinguere. Quo excogitato consilio vocavit Vesterariam suam, & ait ad eam; jura mihi, quod non prodas me, neque denudes consilium meum, & quæcumque dixerò tibi, facito. Postquam pollicita est, ut audistis, ait Regina, animus meus quotidie tecum expugnat in amore istius juvenis, qui tecum concubuit. Pone ei decretum in occultum locum, quando tecum dormire debeat, & dicito ei; repentè *fruito concubitu*, (5) quia festinans ego non possum morari,

(1) *Vesterariam*. Mur.  
(2) *fruebat*. Mur.  
(3) *te*. Mur.  
(4) *sociare*. Mur.  
(5) *fructu concubitu*. Mur.

A & induam ego vestimenta tua posita in abdito, ut non cognoscar. Quodam die ille cum velleret cum Vesteraria dormire, sicut solitus erat, illa monita dixit; nisi veneris illâ, & illâ horâ in tali abdito loco non possumus amplexibus constringi, quia frequenter vocata non possum ab aspectu Reginæ deesse. Ille autem consentiens, sic fiat, inquit. Fecit illa, ut ammonita fuerat, & omnia verba hæc retulit Reginæ. Horâ autem factâ tenebrôsâ induit se Rosmundæ vestimenta mancipiæ suæ, & stans in loco, ubi consummanda iniquitas fieri deberet; tunc ille veniens, cum cœpisset obscurari, subdita, & levi voce dixit ad eum; hora est jam, revertar ad Dominam meam, ne fortè quæsitâ tribulatio mihi accrescat. Tunc ille mansit cum ea in eodem loco, illâ se prosterrente: post quod expleto scelere dixit ad eum; quæ ego sum? Ille inquit; Vesteraria Reginæ. Cui illa subjunxit; nunquid non Rosmundæ Regina ego sum? Nonne dixi tibi, quod spontè facere noluisse, cogam invitè? Ille verò cum agnovisset quia Regina esset, cœpit plorare, & dicere. Heu mihi, ut quid induxisti super me hoc peccatum? Quare sinè omni occidisti me gladio? Quis thorum Regis aliquando maculavit, aut Reginam oppressit, sicut ego miser? Tunc illa consolatoria cœpit verba proferre, & dicere; tace; hæc ad salutem facta sunt; tamen talis iater te, & Albuinum Regem *lis nata* (6) est, ut tu illum punieris, aut ille suo te gladio truncabit. Antequam hæc divulgata sint primus irruerit in eum, & cum dies fuerit aptus mittam ad te: tu verò veni ad locum paratum, interfice eum. Die verò quadam paratum regale prædium jucundatus est Rex protelante convivio, & bibit tantum vinum, quantum nunquam plurimo biberat tempore, hortante uxore sua. Et postquam se in strato suo recepit, Rosmundæ ingressa cœpit capitis Regis capillos huc illuc dividere, & cutem unguibus atrectare, quasi pro delectamento ei fuisset. Qui subito somno arreptus, vino compulsus, tetigit bis, & ter, ut probaret fortè non (7) sopore gravi depressus esset, & misit vocare sceleris sui socium, ut citius veniret. Tunc illa abstulit gladium ancipitem, qui erat ad caput ejus, quo utebatur lateris Regis, quem *spatha* vocamus, & alligavit juxta capitula læti fortiter cum ipso loro, quo Regi præcingebatur lumbos, qui in ipsâ infixus erat vaginâ. Interfectorem verò cum venisset, volens à tali evadere scelere, ut in eum manum non mitteret, illa contra exprobrabat eum; si proferas quod infirmus sis viribus, & non valeas eum interimere, ego meam manum extendam. Dic tantum quod imbecillus sis virtute; modò conspicias, quid fragilis faciat sexus. Hæc contentio inter eos penè adcrevit horâ unâ; cumque molesta ei esset, & vim faciente, ut Regem occideret, subjunxit, dicens, *gladium* (8) ejus, quem expavescis maxime involutus, & fortiter ligatus est. Et ille; tu nosti, qui vir præliator est, & fortis viribus (9), & validissimus manibus. Multa vicit bella, plurimos subjugavit, inimicorum castra prostravit, depopulatisque hostibus, alterius oppida termino suo junxit. Et qui hæc sinè alterius metu omnia quassavit, quomodo eum solus ego possum ju-

(6) In Codice scribitur *miscuata*. Bæch.  
(7) *num*. Mur.  
(8) *gladius*. Mur.  
(9) *est*. Mur.